

LUDOVICVS HALLVERVS IVRE CONSULTVS:



**L**vdouicus honestis parentibus natus, & optimè educatus est. Is post prima literarum fundamēta in patria percepta sese hinc inde ad uarias Academias contulit, & liberalium artium studia egregiè didicit. Inde animum ad Iurisprudentiā convertit, & in ea scientia tanta diligentia profecit, ut Legum Doctor crearetur. Inerat quoq; ei naturalis facundia, & rerum agendarum dexteritas. Id cum illustrissimus princeps Heinricus Brunsuicensis cognouisset, eum ad se uocatum inter suos consiliarios adoptauit. Ibi Ludouicus magna animi moderatione uixit, & principi ob uitutes gratissimus extitit. Itaq; cum anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo Maximilianus Ferdinandi filius Franckoforti Cæsar inaugurateur, Ludouicus sui principis nomine Legatus interfuit, atque cunctis ob uariam eruditionem innotuit. Hoc modo is etiamnum pergens superest, & suum nomen ad posteritatem magna laude transmittit. **A-**nonymos.